33

DEO DUCENTE,
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE
PERMITTENTE,
AMPLISSIMO
HEINRICO Linck / U.J.D.
PRÆSIDENTE
DISPUTATIONEM JURIDICAM
DE

BONIS CENSITICIS,

vulgò
Zinß-Gütern/

Publico Eruditorum Examini ſiſtet

JOHANNES BALTHASAR Meiland /
OLDISLEBIA-THURINGUS
AUTHOR.
AD DIEM XV. MAJI.
M. DC. LXIX.

JENAE,
TYPIS WERTHERIANIS.

16.a

I. N. D. J. C. A.

JUris ſtudium cum latiſſimum & ampliſſimum ſit, neminem immemorem eſſe decet moniti glorioſiſſimi Imperatoris noſtri Juſtiniani, quod in §. 3. proœm. Inſt. ſtudioſæ juventuti reliquit, & conſilii JCtorum in l. 25. de liberat. legat. l. 1. de ſuſpect. tutor. Ea ſc. ex omnibus juris partibus ſeligenda & tractanda eſſe, quæ in ipſis rerum argumentis obtinent, h.e. quæ ſunt quotidiana, quæque in vita communi & judicio forenſi utilitatem quandam habent. His ita conſideratis, & ego operæ pretium me facturum putavi, ſi Diſputationis loco materiam de Bonis Censiticis, *utilitate ſua atq; dignitate ſatis nobilem, placidæ Eruditorum cenſuræ ſubmitterem. Faxit itaq; DEUS Ter Opt. Maximus, in cujus adjutorium noſtros erigimus animos & ingenium L. 1. pr. C. de V. J. E. ut quæcunque cogitemus, unicè in ſui gloriam vergant.*

CAP. I.

Natura Bonorum Cenſiticorum.

§. 1.

CUm omnis rei tractatio ab ipſius vocabuli natura inchoanda ſit, non malè etiam me facturum autumo, ſi, antequam rem ipſam aggrediar, de Bonorum Cenſiticorum natura nonnulla præmittam, cum hoc ipſum etiam ipſe Ulpianus innuat *in l. 1. pr. ff. de I. & I. ita dicens: Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat, & in l. 1. ff. de R.C. inquiens: è re eſt, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca quædam de ſignificatione ipſius tituli referre.*

§. 2. Etymologiam Bonorum Cenſiticorum quod attinet, dicuntur illa à cenſu, propterea, quod de illis cenſus perſolvendus ſit. Dn. Franzk. *tr. de laudem. cap. 10. n. 9.*

§ 3. Cenſûs autem appellatio cum maximè ambigua ſit, & in varia ſignificatione à Dd. præprimis accipiatur, è re eſſe videtur, priùs vocem hanc à diverſis ſuis ſignificationibus liberare. Sumitur enim (1) & propriiſſimè quidem, pro æſtimatione cujusvis patrimonii, ut ſecundum eam tributa præſtentur, ſic accipitur *in L. 3. l. 4. pr. & §. 5. ff. de cenſ. & txx. aliù.* Ab iſta cenſione illi, qui munus hoc gerebant, Cenſores dicebantur. *l. 2. §. Poſt deinde. 17. ff. de O. I.* Perez. *ad Cod. tit. de cenſ. num. 1.* (2) pro patrimonio cujusvis & ſubſtantia, & hæc ſignificatio habetur *in l. 16. pr. ff. ad SC. Trebell. l. 27. verſ. ſin autem non ſolu cenſus. C. de Epiſc. audient.* Weſenb. *in parg. ff. tit. de cenſib. pr.* (3) pro tributo & penſitatione publica, quæ fiſco Imperatoris debetur. *t. t. C. ſi propt. publ. penſitat. l. 2. C. ſine cenſ. l. reliqu. & ſimilib.* Dn. Franzk. *d. l. n. 21. cum multis ſeqq.* Confer Perez. *cit. loc.* & Zœſ. *ad ff. tit. de cenſ. n. 1. & 4.*

§. 4. (4) Sumitur Cenſus pro præſtatione annua, quæ penditur illi, qui omne jus prædio inhærens in alium transtulit, adeoque nihil, niſi modicam penſionem, ſub nomine cenſus annuatim præſtandam, ſibi reſervavit. Atque hic Cenſus aliàs appellatur reſervativus, ideò, quod transferens rem in alium ſibi hunc ſemper reſervet. Magnif. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 2. aph. 10. n. 3. p. 71.* Quod autem hic naturæ & poſitivo Jure licitus & in benè conſtituta Rep. ferendus ſit, communiter Dd. ita ſtatuunt, quos in magna copia allegavit Dn. Franzk. *d. l. n. 37.* & hoc ita deducit *ex Martin. Bonacin. oper. de Moral. Theol. tom. 2. diſp. 3 quæſt. 4. punct. ult. n. 3. Sicut enim liberum eſt rem ſuam tradere & non tradere, ita in noſtro arbitritrio eſt, tradere reſervata penſione.* Magnif. Dn. Struv. *d. l.* Atq; hæc acceptio Cenſus tractationi noſtræ propria eſt. Alii & (5) quidem, cenſum noſtrum accipi etiam volunt pro illa penſione, quæ præſtatur in recognitionem Dominii directi & jurium dominicalium. Vid. Dn. Franzk. *d. l. n. 37.* Verum hanc acceptionem naturæ Bonorum Cenſiticorum minus convenire, ex infra dicendis luculentius apparebit.

§. 5. Stante ſignificatione noſtra facile pateſcit, differre Bona Cenſitica (I) à bonis emphyteuticis, cum hæc non ſint in

pleno

pleno Emphyteutæ dominio, ſed habeat utile tantum Emphyteuta. B. Dn. Carpz. *p. 2. Conſt. 39. def. 1. n 7.* Magn. Dn. Richter/ *Vol. 1. p. 6. Conſil. 8. n. 3.* Unde inferunt Dd. penſionem vel canonem de aliena, ſed cenſum de re noſtra ſolvi. *Gl. In cap. conſtitutus. verb. juxta ratam. x. de relig. domib.* Möller. *ad Conſt. Elect. 39. p. 2. n. 6.* Alias differentias hinc inde in ipſa Diſputatione videbis. (II) à Feudalibus. Horum enim utile dominium etiam ſaltim habet Vaſallus, neque hæc ſub præſtatione cenſus conſtituuntur, ſed ſub conditione exhibendæ fidei. Jung Magn. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cit. c. 2. aph. 5. & 10. n. 1.*

§. 6. Synonymiam pauciſſimis jam attingere lubet. Dicuntur autem aliàs Bona Cenſualia. vel etiam Allodialia, Erb- und Eigenthümliche Güter. Vid. Dn. Carpz. *p. 2. conſt 39. def. 34. n. 1 verb. allodialia h. e. cenſitica.* Cöler. *Proc. Exec. p. 1. cap. 10. n. 162.* Appellantur etiam Bauer-Güter/ quia regulariter Bona Cenſitica à Ruſticis haberi ſolent. Dn. Franzk. *d. l. n. 64.* Vulgo Germanis vocari ſölent Zinß-Güter. *Vid. Conſt. Elect. 39. p. 2.*

§. 7. Quæ de origine Bonorum Cenſiticorum notandæ veniant, vide apud Gl. in LandR. *lib. 1. art 54. n. 2.* & clarius *in* LehnR. *art. 60.* quam refert Dn. Franzk. *d. l. n 45.* Addimus hoc, Bona hæc Juri ſcripto incognita, moribus vel conſuetudine introducta fuiſſe, uti de conſuetudine Germaniæ teſtatur Coler. *d. l. 1. n. 162. & alii.*

§. 8. His ita prælibatis, ad ipſam bonorum cenſualium deſcriptionem progredimur. Ea autem ex communi Dd. opinione ita deſcribere placet: Bona Cenſitica illa ſunt, quorum quis plenum habet dominium conceſſum, ita tamen, ut accipiens in memoriam dominii antiqui ſolvere teneatur certum annuum cenſum. Et hæc deſcriptio deſumpta eſt *ex all. Conſt. 39. verſ.* Aber ſolches beydes &c cui addi poteſt *l. ult. verb. menſtruum ſ. annuum tibi praſtaret. C. de rer. permut. d. c. 6. ibiq; gl verb. juxta ratam, lit. f. de relig. dom.* Dn. Struv. *all. loc. ubi ex Wameſ. conſil. 133. n 3. inter alia hac affert: penſio in emphyteuſi ſolvitur pro recognitione dominii directi, apud concedentem permanentis: cenſus verò pro recognitione dominii à concedente accepti; & ex Bar-*

hoſ. collect. in Decret. c. 6. de rel. dom n. 9. & 10. refert: creatur cenſus, quando quis tradit rem ſuam alicui, & in eum transfert omne dominium directum & utile cum onere, quod accipiens rem teneatur ſolvere certam annuam penſionem. Cœterum notari meretur, dominium antiquum in definitione non ita propriè dici, ſed analogicè propter jus percipiendi cenſum, nobis in re, in alium translatâ, reſervatum, præprimis cum renovatio inveſtituræ petendâ, & laudemium ſolvendum ſit. Sic quoque nomine *Domini Directi* indigitatur *Dominus Cenſus in Ordin. Iudic. Elect. tit. 46. §.* würde ſichs zutragen. & *d. p. 2. conſt. 25.* Dn. Struv. *d. l. p. 71.*

CAP. II.
De Conſtitutione Cenſiticorum Bonorum.

§. 1.

EXplanata eſſentia atque natura dictorum Bonorum, agendum nobis nunc eſt de horum conſtitutione, ubi hæc præprimis conſideranda ſunt, Perſonæ nempe & Modus conſtituendi. Perſonas quod concernit, itidem conſiderandæ veniunt perſonæ conſtituentes & ſuſcipientes. De illis dicimus: Quicunque rerum ſuarum Dominus eſt & arbiter, is poteſt bona hæc conſtituere, *arg. l. 21. C. mand.* Et hujus aſſertionis noſtræ optima ratio dari poteſt. Si enim privatus dominium ſuum in alium transferre poteſt, quidni & hoc jus? cum non debeat, cui plus licet: quod minus eſt non licere. *l. 21. ff. de R. J.*

§. 2. Diximus: alienandi & per conſequens Bona Cenſitica conſtituendi facultatem competere Dominis rerum. Aliquando verò poteſtas hæc quibusdam perſonis, propter earum conditionem, interdicitur *vel (1) ratione ætatis,* quales adhuc ſunt pupilli. *arg. §. 2. I. quib. alien. licit. l. non. l. 15. ff. de ſolut.* Eadem quoque ratio eſt minorum, qui & ipſi nihil ex bonis alienare poſſunt ſine curatorum conſenſu. *l. 3. C. de in integr. reſtitut. min. l. 6. ff. de V. O. & l. 26. ff. de contrab. empt.* & Magiſtratus decreto, *per l. 4. 13. 15. C. de præd. min.* ibique Dn. Brunnem. Dn. Hahn. ad Weſenbec. *tit. de reb. cor. qui ſub tut. &c. n.*

4. B.

4. B. Dn. Carpz. *p. 2. Const. 11. def. 28.* Magn. Dn. Richter. *p. 1. Dec. 13. n. 11.* Dn. Philipp *in Uſ. Pract. ad. Inſt. lib. 2. Eclog. 42.* *Conf.* Dn. Struv. *Synt. jur. feud. cap. 5. aph. 4. n. 2. ſeqq.*

§. 3. Vel (2) *ratione morbi & defectus animi.* Sic prohibentur furioſi & mente capti, cum hi omni conſenſu, intellectu & voluntate careant. *l. 14 ff. de offic. præſid. l. 40. ff. de* R. *J.* adeoque nullum negotium contrahere poſſunt. *l. 5. ff. de R. J. l. 1. §. 12. ff. de O. & A. l. 70. §. 4. ff. de fidejuſſ.* Dilucida vero intervalla habentes, intermiſſionis tempore, quoslibet actus gerere poſſe non ambigitur, *per l. 2. C. de contrah. empt.* ibique Dn. Brunnem. Magn. Dn. Struv. *Synt. Jur. Civil. Ex. 6. th. 37.* adeò ut contractus vel negotium, rectè ab iis geſtum, in dubio tempore intervalli geſtum cenſeatur, cum ex qualitate actus ſanæ mentis fuiſſe præſumantur & aliàs in dubio ea interpretatio capienda, ut actus valeat potius, quam pereat, *arg. l. 24. ff de Reb. Dub. l. 80. de V. O.* His æqui parantur prodigi, qui & ipſi nihil in aliquem transferre poſſunt. *l. 10 ff. de curat. furioſ.* cum faciant furioſum rerum ſuarum exitum. *l. 12. ff. de tut. & curat. dat.* Magn. Dn. Struv. *cit. loc.*

§. 4. Vel (3) *ob vitium corporis,* ut ſunt muti & ſurdi. Hoc tamen intelligendum volumus de illo muto & ſurdo, qui planè ad contrahenda negotia civilia inhabilis eſt, ita ut ipſe non intelligat, quid agat, nec, quid alii cum ipſo agant, poſſit percipere; Hunc nihil agere poſſe ſine curatore, conſtat *ex §. 4. J. de curat. l. 20. ff. de reb. auth. jud. poſſ. l. 5. § ult. de poſtul. l. 7. §. 11. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. t. t. de reb. eor. qui ſub Tut. vel Cur.* Ille autem, qui mentem ſuam per ſigna vel literas exprimere, & alios, quid velint, ſic ſatis intelligere poteſt, rectè omnes contractus (præter illos, qui pro forma verba requirunt) & per conſequens cenſualem etiam ſine curatore celebrat. *per l. 33. §. 2. de donat. l. 48. de O. & A. l 35. §. ult. de V. O* Conf. Dn. Struv. *Synt. jur. feud. cap. 5. aph. 4. n. 3. ſeq* Cœci autem non prohibentur, quia in hoc negotio non oculorum ſenſus, nec valetudo corporis, ſed mentis & conſilii integritas ſpectatur, quâ cœcus etiam pollere poteſt. *l. 6. ff. de judic.*

§. 5. (4) *Ratione poteſtatis* quibusdam perſonis libera

rerum

rerum ſuarum adminiſtratio adempta eſt. Sic filiusf. ratione peculii profectitii, quod permiſſu patris habet & pleno jure ad patrem ſpectat. vid. Dn. Struv. *Ex. jur. civ. 20. th. 65.* cenſum conſtituere non poteſt. *arg. §. 1. I. per quas perſ. acquir. Exc. eſt in l. 15. §. f. l. 41. §. 1. de R. V.* Nec bona adventitia, in quibus pater uſumfr. habet, in cenſum concedere poteſt. *Non obſtante l. 3. §. ult. uſufr. quemadm. cav. l. 2. C. de uſufr.* Benè tamen poteſt in caſtrenſ. *arg. l. 15. § 1. de pecul. caſtr. cum ſimil.* quia in his pro patref. habetur. *l. 6 §. f. ff. de inj. rupt. irrit. &c.* ut & Adventitiis extraordinariis. *Nov. 117. c. 1. § res autem in relictas. i. Conf. ea, qua habet* Dn. Struv. *Synt. jur feud. all. c. 5. aph. 5. n. 4.*

§. 6. Diximus, quod ille, qui vult bona ſua in cenſum alicui concedere, debeat eſſe DOMINUS. Hinc ſequitur, quod non poſſint Tutores & Curatores, quia hæc conceſſio omne jus in alium transfert, quod ipſis in rebus immobilibus absque decreto Magiſtratus non licet. *l. f. ff. de curat. furioſ. t. t. de reb. eor. qui ſub tut. l. f. c. de reb. alien. non alien. l. 2. C. de adminiſtr. tut.* Eadem ratione Procuratoribus hoc denegatur in rebus Principalis Domini, quia & ipſis tantum adminiſtratio, non item alienatio permiſſa eſt, *per l. 63. ff. de procurat.* Exc. vid. *in d. l. 63. verb. ſine ſpeciali domini mandato. l. 58. ff. eod. & l. f. C. ad SCt. Maced.* Eadem ſtatuimus de Marito, *per pr. I. quib. alien. lic.* ratione fundi dotalis, licet ſubtilitate juris Dominus ejus ſit. *l. 30. C. de jur. dot.* ibique Dn. Brunnem. Dn. Struv. *Ex. jur. civ. 30. th. 12.*

§. 7. Penſiculatis perſonis iis, quæ bona cenſitica conſtituendi facultatem habent, facilè etiam cognoſci poſſunt perſonæ, ea acquirere habiles. Acquirere autem poſſunt omnes ii, quibus non eſt interdictum rerum commercium, non habito reſpectu ſexus, *arg. 2. F. 3. verb. perſonam inveſtituram accipientis non diſtinguimus &c.* ſ. ſint maſculi, ſ. fœminæ, ſive hermaphroditi, ſive minores ſive majores, ſive furioſi, hi tamen non, niſi per Curatorem, cum nullum habeant animi judicium. *l. 5. ff. de R. I.* ſive prodigi, cum in acquirendo prodigi non ſint, ideoque opus habeant Curatore. *arg. l. 5. §. 1. ff. de acqu. vel amitt. hered.* Cujuscunque tandem ſint conditionis & dignitatis, non ſolum Laici, ſed etiam Clerici. *arg. §. ult. 2. F. 40.*

§. 8.

§. 8. Dictum eſt, quibus non eſt interdictum rerum commercium. Hinc cum hæreticis omnis contrahendi facultas adempta ſit, per *l. 4. C. de Apoſt. l. 4. C. de Hæret. & Manich. ibiq;* Dn. Brunnem. Bona Cenſualia acquirere non poſſunt. Sic quoque inhabiles ſunt Excommunicati, *arg. c. 18. quæſt. 3. cauſ. 11.* excommunicatione ſc. majori, quæ à communione fidelium ſeparat, non vero minori, quæ à perceptione Sacramentorum repellit. *c. pen. x. de ſent. Excomm.* B. Dn. Ungep. ad Decret. *tit. de ſent. Excommun. n. 5. & ſeq.* Item uſurarii manifeſti, *per c. 1. de uſur. in 6.*

§. 9. Conſiderandi jam ordine veniunt modi, quibus bona cenſitica conſtituuntur. Ab hac autem conſtitutione ipſam promiſſionem diſtinguimus, *per l. 136. §. 1. de V. O, ubi ſervitus via per ſtipulationem promiſſa à ſervitute conſtituta expreſsè diſtinguitur.* Dn. Struv. *Synt. jur. feud. cap. 7. aph. 2.* Promiſſio verò, teſtante Dn. Struv. *Ex. jur. civ, 11. th. 62. & all. cap. 7. aph. 3.* fit vel actu inter vivos & contractu, quo Dominus ſe obligat ad conſtituenda alicui bona cenſitica, & oritur inde jus ad rem & actio perſonalis; vel ultima voluntate, qua Dominus alicui legat rem, ut Jure Cenſus eam habeat, aut heredem in eâ inſtituit, & hoc jus teſtamento delatū convenientibus actionibus legatarius aut heres perſequitur. Dn. Struv. *d. l.* Notandum tamen eſt, hanc promiſſionem in teſtamento factam conditionalem eſſe, & tum demum vires accipere legatum, ſi legatario placeat & penſionem annuam præſtare velit, quia nemo invitus obligari debet. *l. 6. pr. ff. de acquir. hered. Donell. l. 9. c. 13.*

§. 10. Promiſſionem inſequitur ipſa conſtitutio vel acquiſitio. Hæc autem fit vel expreſsâ conſtituentium & acquirentium voluntate per inveſtituram, vel præſumta per præſcriptionem, vel etiam per ſucceſſionem. Inveſtitura dupliciter accipitur (1) ſpecialiter pro inveſtitura feudali, & hoc modo iterum tripliciter ſumitur, vel pro feudi poſſeſſione ipſa. *2. F. 2. pr.* vel pro ſcriptura ſeu inſtrumento ſuper actu inveſtiendi confecto, den Lehn-Brieff. *2. F. 8. verſ. idcirco.* plerumque verò & magis propriè pro ipſo inveſtiendi actu. *2. F. 1. in f. 2. F. 11. pr. & 33. pr.* Germ. Die Lehns Empfängnüß. Conf. Schnob. *Diſſ.*

Feud. 5. *th.*2. (2) generaliter, atque h. m. de Bonorum Cenſiticorum traditione prædicatur. Definitur eatenus inveſtitura, quod ſit actus ſolennis, quo res quædam à Domino ſub præſtatione Cenſus alicui conceditur.

§. 11. Inveſtitura fit per traditionem. Traditio autem vel verè vel fictè fieri ſolet. Verus tradendi modus eſt in mobilibus, cum res de manu in manum traditur, in immobilibus, cum quis in prædium, de quo cenſus debet ſolvi, inducitur. Ficti modi ſunt (1) ſi Dominus jubeat, ut cenſitus poſſeſſionem apprehendat. (2) ſi quis rem demonſtret & dicat, ſe poſſeſſionem ejus tradere. (3) ſi res jam antea ſit apud eum, cui tradenda. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap.* 8. *aph.* 11. Obſerva: quod hic modus tradendi, pro cujuslibet regionis conſuetudine, quam maximè variare ſoleat.

§. 12. Non ſufficit per inveſtituram Bona Cenſitica conſtituta, ſed longo inſuper uſu & moribus fermè omnium locorum introductum eſt, ut bona cenſualia, in quemcunque eventum mutati poſſeſſoris, denuò recognoſcantur ab aliquo tertio, puta Nobilibus, Principibus, aliisque Superioribus & renovatio inveſtituræ petatur. Conf. Coler. *Proceſſ. Execut. p.* 1. *cap.* 10. *n.* 162. B. Dn. Carpz. *p.* 2. *conſt.* 39. *def.* 4. *n.* 5. Magnif. Dn. Richter / *p.* 2. *Deciſ.* 83. *n.* 23. Tempus, intra quod renovatio inveſtituræ petenda eſt, cujuslibet provinciæ conſuetudini, in illâ receptæ, relinquimus. Dn. Richt. *d. Deciſ. n.* 66.

§. 13. Pro iſta renovatione inveſtituræ honorarii loco, veluti in recompenſationem ejus damni, quod Dominus ex immutatione perſonæ ſentire poſſet, *per l. ult. C. de Jur. Emphyt.* Dn. Carpz. *dict. conſt.* 39. *def.* 11. *n.* 2. Laudemium Domino ſolvendum eſt. Coler. *d. l.* Dn. Richt. *d. l. n.* 23. Dn Struv. *Synt. Jur. Feud. cap* 2. *aph.* 10. *n.* 3. Notandum tamen eſt, laudemium aliàs regulariter ſolvi non debere, niſi conſuetudine introductum ſit. Conſt. Elect. *tit.* von LehenWahr. *alleg. à Carpz. quæ eſt in ordine prima earum, quæ typis quidem impreſſæ, ſed certis de cauſis publice editæ non fuerunt,* ibi: Die LehenWahr an andern Orten / da ſie bißhero nicht genommen worden / ſoll auch daſelbſt nicht aufgebracht noch gegeben werden / der Orter aber / da ſie überrecht-

ver-

verwehrte Zeit gewöhnlich/ oder ſonſt erlanget und herbracht/ ſoll ſie ferner Krafft ſolcher Gewohnheit/ innhalts der Landes-Ordnung/ gegeben und genommen werden. Dn. Carpzov. *d. l. def. 11. n. 3. & def. 29.*

§. 14. Quantitas laudemii de Jure Civili fuit quinquageſima pars pretii rei venditæ ſ. alienatæ. *l. 3. §. & ne avaritia. C. de Iur. emphyt.* Dn. Carpz. *dict. def. 11. n. 4.* Conſuetudo locorum hodie variat. Vid. Dn. Brunnem. *ad l. fin. C. de Iur. Emphyteut.* Plurimis in locis & cumprimis in provinciis Saxonicis quantitas laudemii vigeſima pars eſt pretii, ſeu emptor ratione ſingulorum centenorum quinque florenos ſolvit. Dn. Franzk. *d. tr. cap. 23. n. 14.* Dn Struv. *cap. 10. aph. 12. n. 6.* Interdum de ſingulis centenis decem florenos ſolvere quis tenetur, uti teſtatur Dn. Carpz. *d. l. def. 12. ubi ita in Scab. Lipſ. aliquando reſponſum fuiſſe refert:* Ihr könnet dann wie recht darthun und erweiſen/ daß eure Unterthanen ein mehrers und 10. fl. von 100. fl. zur Lehn-Wahr gegeben/ ſolches auch über Rechts-verwährte Zeit unverbrüchlichen alſo were gehalten worden/ deſſen genöſſet ihr auff ſolchen Fall billich. V. R. W. quod rarius tamen contingere dicit Idem *d. l. n. 3.*

§. 15. Laudemium præſtatur, ſi emtione venditione, permutatione, donatione, legato res in alium transferatur. Dn. Franzk. *dict. tr. cap. 16. n. 25. ſeqq. cap. 18. n. 1. ſeqq. & cap. 20.* Dn. Richter/ *dict. Deciſ. 83. n. 97.* In terris Electoratûs Saxoniæ laudemium ex permutatione non debetur, niſi pro pecunia rei permutatæ addita. *Vid. ſæpius. all. Conſt. El. tit.* Von Lehn-Wahr. §. Wo auch die Güter durch permutation und Umbwechſelung verendert/ ſo gebühret dem Herren keine LehnWahr/ da aber Geld mit zugegeben wird/ davon hat man LehnWahr zufordern von dem Beſitzer. Conf. Dn. Carpz. *dict. conſt. 39. def. 15. n. 8.* Nec etiam laudemium Cenſitus ſolvere debet, ſi mutatio in perſona Domini contingat. Dn. Franzk. *d. tr. cap. 4. n. 22.* Dn. Struv. *Synt. Iur. Feud. cap. 10. aph. 13. n. 2.* Dn. Carpz. *d. l. def. 28. ubi ita in Scab. Lipſ. Reſp. refert M. Septembr. 1612.* Aber Lehen-Wahr iſt der Zinßmann in deme von euch angezogenen Fall/ wann

 nehm-

nehmlich der Beſitzer des Guts als Lehn- und Zinß-Herr verendert wird/ davon zugeben nicht verpflichtet.

§. 16. In ſucceſſionibus verò regulariter nullum laudemium, ſed tantum honorarium pro confectione literarum inveſtituræ, ein SchreibSchilling/ ſolvi ſolet. Vid. Conſt. El. tit. Von Lehen-W. §. desgleichen. ibi: Wann der Beſitzer/ Zinß- oder Erbmann ſtirbet/ und leſſet Kinder/ ſo ſind dieſelbe Lehen-Wahr zugeben nicht ſchuldig/ weil ſie in der vorigen inveſtitur begriffen. Add. Dn. Franzk. *all. tr. cap. 8. n. 119.* Dn. Struv. *all. loc. n. 5.* Dn. Carpz. *def. 21.* Dn. Richter/ *diſſ. dec. 83. n. 130.* Hinc Dn. Franzk. *d. l. n. 121.* nonnullorum Præfectorum, der Schöſſer/ conſuetudinem perſtringit, *dum à ſingulis liberis, in Bonis Cenſualibus parentibus ſuccedentibus, honorarium ex conſuetudine Præfectis debitum,* die SchreibSchilling *exigunt, & quidem non in univerſum de bonis illis cenſualibus, quod aliquo modo adhuc tolerari poſſit, ſed fere de ſingulis partibus & veluti jugeris, prout particulatim & ſucceſſivè hinc indè coempta & comparata annua alicujus præſtationis obnoxia ſunt,* für ein iedes/ *Item, uti illi loqui aſſolent.* Interdum tamen liberi etiam laudemia præſtare tenentur, ſi illud ſpeciali ſtatuto vel conſuetudine introductum reperiatur. Dn. Carpz. *def. 22.* Quæ conſuetudo valida omninò eſt, ſecundum ea, quæ tradit Dn. Franzk. *d. c. 8. n. 114. & alii.* cum aliàs in materia Laudemii conſuetudo cujusque loci præciſe attendenda veniat. Magn. Dn. Struv. *cit. c. 10. aph. 2. n 10.*

§. 17. Hæc quæ dicta ſunt de ſucceſſione, ſaltim locum habent in liberis parentibus ſuccedentibus, ſecus eſt, ſi alii vel per teſtamentum, vel per aliam ultimam voluntatẽ, vel per ſucceſſionem ab inteſtato ſuccedant. Hi enim omninò ad laudemii exhibitionem obligati ſunt. *Vid. dict. conſtit. El. ſub tit.* Von Lehn-W. verb. Solche Lehen-Wahr iſt auch ein ieder der nicht durch einen Kauff/ ſondern ex titulo lucrativo dis Gut erlanget alß ſo es ihm geſchencket/ oder in Teſtament vermacht wird / zuerlegen pflichtig. *& circa fin. in verb.* So aber keine Kinder/ ſondern Freundte ſeitwarts verwandt/ alß Collaterales und extranei vorhanden / uff welche das Gut verfället/ dieweil daß Dominium in dieſelbe ipſo Jure nicht continuiret noch gebracht wird / ſo

ſeind

Digitized by Google

ſchuld ſie auch die LehnWahr zugeben pflichtig. *&c.* Add. Dn. Carpz. *def. 19. & 20.*

§. 18. Præſcriptione Bona Cenſitica acquiruntur, ſi quis citra expreſſam hujus juris conſtitutionem, poſſeſſionem b.f. acquiſiverit, eaque domino patiente & admittente, ut cenſualia, cenſum nempe præſtando, nec vi nec clam nec precariò longo tempore poſſederit. *arg. l. 10. pr. ff. ſi ſerv. vind.* Add. Magn. Dn. Struv. *Ex. 11. th. 63.* Eſt enim præſcriptio præſumta quædam voluntas, atque tantum præſcribenti, quantum expreſſa & ſolennis conventio, tribuit.

§. 19. Ad hanc præſcriptionem requiritur (1) *poſſeſſio rei ſub qualitate cenſus,* quæ inducitur, ſi quis ratione rei aliquem tanquam Dominum cenſus recognoſcat, ipſique admittenti cenſum exhibeat. *arg. c. 26. F. 2. § ſi quis.* (2) *continuatio ejusmodi poſſeſſionis per longum tempus,* cum dominium rei non acquiratur, niſi longo tempore. *l. ult. in f. C. de præſcr. long. temp.* Nec movet *l. ult. C. de fund. patrim.* ad quam reſpondet Bachov. *ad Tr. vol. 1. diſp. 29. §. 11. lit. B.* Jure Saxonico requiruntur 31. *ann. 6. Sept. & 3. dies.* Dn. Carpzov. *p. 2. conſt. 38. def. 15.* (3) requiritur bona fides ſecundum Jus Canonicum, & quidem tam ab initio, quàm progreſſu præſcriptionis, *per c. 5. de præſcript.* Hæc tamen bona fides ex curſu tanti temporis præſumitur, & allegans malam fidem probare eam debet, nec requiritur titulus & inveſtitura præcedens, ſed ipſa patientia eſt vice tituli & inveſtituræ. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 8. aph. ult.*

§. 20. Per ſucceſſionem acquiruntur bona noſtra, ſi quis vel ex teſtamento vel ab inteſtato in Bonis Cenſualibus alicui ſuccedat, nulla adhibita diſtinctione, an maſculi ſint an fœminæ, *per l. 4. C. de lib. præterit. Nov. 7. c. 3.* Quidam hac ratione Bona Cenſitica ab emphyteuticis differre putant, cum bona emphyteutica ſimpliciter pro ſe & ſuis heredibus accepta, tantum pro maſculis non etiam pro fœminis accepta videantur. Verum illorum opinionem rejicit, ac in emphyteuticis fœminas, non minus ac maſculos, ſuccedere rectiſſime defendit poſt Everhard. *in top. loc. à Feud. ad emphyt.* Dn. Carpz. *d. conſt. 39.*

def.34. n.2. & *3.* Jung. Nov. *7. c.3.* Treutl. *Vol.1. Diſp. 19. th.11. lit.* C. Magn. Dn. Struv. *Ex.11. th.65.*

§. 21. Quod ſi autem Bona Cenſitica pro ſe ac filiis accepta ſint, an tunc fœminæ excluſæ cenſeantur, quæritur? quod negamus, tum quod maſculinum regulariter fœmininum includat. *l.1. l.101. ff. de V.S. l.7. §.1. ff. de Iurisd. l. 45. ff. de leg. 2.* tum *per l. 116. de V.S. l. 16. pr. ff. de teſt.tut.* ubi nomen filiorum continet filias. Conf. Ludvv. *Ex. ad Inſt.13. th 7. lit. I.* Hac tamen appellatione filiorum non continentur nepotes & reliqui deſcendentes, *per §. ult. Inſt. q. teſt. tut.* & *l. 6. ff. de teſt. tut.* nec obſt. *l. 220. §.1. l. 48. de V. S. l. 59. de R. N. l. 2. §. 28. ad SCt. Tert.* Conf. Magnif. Dn. Struv. *Ex. Iur.Civ. 31. th.14.*

CAP. III.

De Cenſiticorum Bonorum Forma.

§. 1.

EGimus hucusque de perſonis Bona Cenſitica conſtituentibus & acquirentibus atq; de modo conſtituendi. Ordo nunc poſtulat, ut nonnulla de ipſa forma, quippe quæ eſſe rei dare dicitur, *arg. l.9. ff. ad Exhib.* proponamus. Illa autem in definitione hiſce abſolvitur verbis: Ut accipiens teneatur ſolvere certum annuum cenſum. Cenſus ergò hic non ſolvitur in recognitionem dominii directi, ſed ſolum ex contractu cenſuali, in quo ita neceſſario requiritur, ut ne pacto quidem remitti poſſit, cum ſit de ſubſtantia contractûs hujus, quæ ſalva re ipſa pactis tolli aut mutari nequit. *arg. l. 8. ff. de caſtr. pecul. l. 13. & ſeq. C. de probat. Add. ea, quæ c. 1. § 8. dicta ſunt.*

§. 2. Illud hic non prætereundem, cenſum noſtrum ſolvi non in nummis tantum, qui Silber-Zinß/ Gold-Zinß/ Zinß-Geld/ Geſchoß/ Steuer/Schatzung appelllatur; Verum etiam in frumento, qui vocatur Sack-zehend-Güld-und Pacht-oder Zinßgetreide/ vel in animalibus, hinc Zinß-Hüner/Faſtnachts-und Michaelis oder Herbſt-Hüner/Rauch-Hüner/ vel in cera, ovis, caſeis, hinc Wachs-Zinß/ Faßnachts-Eyer/ Pfingſt-Käſe &c. & ſimilibus, quod colligitur ex §.3. *I. locat. ubi penſio vel reditus vocabulum eſt generale, omne, quod ex re venit, ſignificans.* Conf. Dn.

Richt.

Richt. *p. 2. Deciſ. 98. n. 6.* Schulz. *in Syn. ad Inſt. tit. de his qui ſui alien. jur. lit. a.*

§. 3. Cenſus autem certus atque determinatus eſſe debet, cum & in contractu Emphyteutico, cui contractus cenſualis aſſimulatur, certus canon intervenire debeat. Magn. Dn. Struv. *Ex. 24. th. 31.* Ubi autem census hic ſolvendus ſit, inter Dd. disquiritur? Diſtinguendum nos putamus, aut locus in conventione expreſſus eſt, & tunc is ſtrictè obſervandus, *arg. l. 1. §. 6. ff. depoſ.* aut nihil de loco conventum, & tunc, ſi cenſitus & Dominus cenſus ejusdem ſunt ſori, vel ſaltim bona cenſitica ſituata ſunt in ea provincia, ubi reſidet Dominus, propriis ſumptibus cenſitus cenſum ad domum ſui domini portare tenetur. *arg. l. 20. ff. de oper. libert.* Panorm. *in cap. ſignificante. de pign.* Weſenb. *in par. ff. tit. ſi ag. vect. in f.* Dn. Richt. *deciſ. 84. n. 11. ubi etiam ita in facultate Iurid. Ien. M. Nov. 167 reſponſ. eſſe refert.* Nob. Dn. Bechman/ *ad ff. vol. 1. p. 1.* Ex. *13. n. 32.* Jure Saxonico contrarium obſervatur. Hinc is, cui cenſus debetur, domum cenſuarii adire cogitur pro cenſu accipiendo. Land R. *lib. 1. art. 54.* Zob. *p. 2. diff. 44. n. 1.* Weſ. *d. l.* niſi conſuetudine aliud receptum.

§. 4. Quæritur, an cenſus ob ſterilitatem, incurſionem hoſtium aliosque caſus fortuitos remitti debeat? Nos *arg. l. 1. in f. C. de jur. emph.* negamus, ut ut vel maxime notabile damnum & inſignis ſterilitas contigerit, neutiquam tamen anni illius cenſus remitti debet, *per d. l. 1. in f.* ſecundum naturam enim eſt, ut incommoda ſequantur eum, qui percipit commoda. *l. 10. ff. de R. I.* Nec obſtat *l. 15. §. ſi vis. 2. ff. & l. 8. C. locat. ubi propter ſterilitatem mercedis fit remiſſio conductori.* Siquidem reſpondemus, aliam rationem eſſe locationis, ibi enim merces principaliter præſtatur ob uſum rei, ideoque ſi conductor re uti prohibeatur, Jure merito ipſi aliquid de mercede detrahendum erit, cum inter locatorem & conductorem tacitè ita conventum ſit. *d. l. licet. 8.* Quæ ratio in bonis cenſualibus ceſſat. Cenſus enim non præſtatur propter uſum ipſius rei, nec in fructuum, quos ex prædio cenſuali percipit, compenſationem, ſed ſolummodo ex contractu cenſuali, in recognitionem dominii antiqui. Hinc eſt, quod etiam cenſus ſæpè in unico nummo, vel

alia

alia re minima conſtitui poſſit, uti Dd. communiter affirmant. Niſi prædium cenſiticum ita extinctum ſit, ut plane eo uti, ex eoque commodum percipere nequeat, quo caſu nullus cenſus amplius debetur. *arg. d. l. 1. inf. C. d. t.* Conf. Dn. Carpz. *p. 2. conſt. 28. def. 19.* Dn. Brunnem. *ad l. 1. C. de Iur. Emphyt. ibique alleg. Dd.* Addimus & hanc reſtrictionem: Woferne der Zinß-Mann nichts erhebliches dawieder einzuwenden. Dn. Richter/ *deciſ. 74. n. 47.*

CAP. IV.

De Effectu Bonorum Cenſiticorum.

§. 1.

SEquitur Effectus, ex cauſis jam enarratis reſultans, qui in eo conſiſtit, quod in recipientem *Bona Cenſualia* transferatur omne dominium, tam directum quam utile, & omnis poſſeſſio, tam civilis quam naturalis, ita ut recipiens pro arbitrio de bonis illis diſponere poſſit. Hos effectus inſignes & oppido notabiles ad duo membra revocamus, commoda ſcil. & onera.

§. 2. Commoda quod concernit, conſiſtunt illa (I.) in dominio directo & utili, quod habet cenſuarius in bonis cenſiticis. Conf. *dict. conſt. 39. verſ.* Zu dem ſo wird allein die Erbliche Nutzbarkeit, *verb.* Aber ſolches beydes ꝛc. Moller. *ibid. n. 6.* Dn. Carpz. *dict. conſt. def. 1. n. 8.* Dn. Richt. *tr. de priv. Cred. p. m. 405. n. 138.* Magnif. Dn. Struv. *Synt. Iur feud. cap. 2. aph. 10. n. 3.* Exiſtimant quidem nonnulli, planè non poſſe dominium directum in recipientem tranſire, tum quod, quotiescunque bona illa, ex quibus ſolvitur cenſus, venduntur & alienantur, uſu & conſuetudine plerorumq; locorum à Superioribus recognoſcenda & recognitionis illius cauſa laudemia ſolvenda ſint, qui duo naturalis & dominii directi effectus notorii ſunt, *per l. f. C. de jur. emph. l. 1. C. de fund. patrim. lib. XI.* Si autem in cenſitum plenum dominium tranſiret, planè non opus haberet, ut inveſtituram ab alio peteret & quotannis certam ſummam penderet, cum ita jure conſtitututum ſit, ut quilibet rerum ſuarum moderator ſit & arbiter, *arg. l. 21. C. mand.* tum quod *Gl.*

Germ.

Germ. ad l. 3. LandR. *art. 39. n. 2. ſub fin.* expreſſè hoc innuat, quando inquit: Ein ZinßGut iſt weder eigen Erb noch Lehen/ doch leyhet mann es im Lande zu Sachſen ohne Mannſchafft dem/ der es käuffet/ daß iſt aber nichts anders/ denn daß man damit anzeiget/ daß es des Herren Wille ſey. Es iſt aber darüm kein eygen/ das der Herr darauf ein Zinß habe/ denn das eygen hat man ohne allen Zinß/ Erbe iſt auch nicht/ darümb daß der Richter niemand auffzeben mag/ es iſt auch kein Lehen/ weil man Zinß davon giebt. tum etiam, quod cenſus, quem de his bonis ſolvunt, plerumque adeo exiguus ſit, & non raro gallina tantum vel anſer cenſus vice præſtetur, quod ſine dubio ideo fit, ne veri domini memoria extinguatur. Verum hæc tanta non ſunt, ut nos à ſententia noſtra abducere poſſint. Ad primum enim reſpondemus negando, in eo ſolo dominium directum propriè dictum conſiſtere, cum illud in eo potiſſimum conſiſtat, quod proprietas quodammodo ad Dominum ſuperiorem ſpectet, adeoque res, ejus conſenſu non requiſito, alienari nequeat, atque ſi planè conſenſus non requiratur & Dominus non recognoſcatur, res amittatur. Hoc vero in Bonis Cenſualibus non obtinere, infra videbimus. Porro renovatio inveſtituræ nihil eſt aliud, quam renovatio contractus cenſualis, & ob eam ad exemplum Emphyteuſeos laudemium ſolvitur. Undè Coler. *Proc. Ex. p. 1. c. 10. n. 161.* rectè ſcribit: *ſicut in bonis feudalibus & emphyteuticis domini vel ſuperiores retinent ſibi dominium directum, ita in prædiis cenſiticis reſervant ſibi jus annui cenſus vel canonis, item infeudationis circa perſonam aliorum in recompenſationem & memoriam beneficii præſtiti.* Add. *Conſt. El. 23. p. 2.* & Ord. Jud. El. d. tit. 46. §. Wann aber. verb. bona emphyteutica oder cenſitica, darüber ein Unterthan einen LehnHerrn erkennen muß/ oder die er ſonſten in Lehn zu empfangen pfleget. Dn. Struv. *d. l.* Quod attinet Gloſſam, ad illam dicimus, quod confuſè loquatur & bona cenſualia ab emphyteuticis non ſeparet, adeoque cognitio bonorum cenſiticorum potius ex quotidiana practica, quàm ex illis libris addiſcenda. Vid. Col. *d. l. n. 162.* Ad ultimum facilis eſt reſponſio, ex iis quæ *in cap 3. §. 4.* diximus.

§. 3. Notandum tamen eſt, quod interdum utile tantum

do-

dominium in Cenſitum transferatur; non quidem contractus natura ita exigente, ſed propter conditionem rei, ut ſi Vaſallus fundum quendam feudalem ſub præſtatione cenſus, absque conſenſu Domini, alicui concedat, & cenſum ſibi reſervet. Conf. Magnif. Dn. Struv. *d.l. p. 71. & 77.*

§. 4. Dominium hoc directum conſiſtit (1) in jure, quamlibet commoditatem & utilitatem ex prædio cenſuali obvenientem percipiendi. Poſitum (2) eſt in eo, quod cenſitus pro arbitrio de bonis cenſiticis diſponere poſſit, neq; conſenſum Domini in vendendo vel alienando requirere debeat. Conf. Dn. Franck. *d. tr. cap. 10. n. 74.* Magn. Dn. Richter/ *Vol. 1. p. 6. Conſil. 7. n. 2.* Quod oppignorationem bonorum cenſualium attinet, ad illam, ut valida ſit, Jure Saxonico neceſſe eſt accedat conſenſus Domini, qui propterea requiritur, ne nim. Dominus in perceptione cenſus lædatur, & ne creditores decipiantur. Conſt. Elect. 23. *p. 2.* Ordin. Jud. El. Sax. *tit 46.* §. Wann aber einer. Dn. Coler. *de Proc. Ex. p. 1. c. 10. n 164. & 171* Dn. Carpz. *dict. conſt. 23. def. 22.* Dn. Richt. *d. tr. p. m. 407.* Magnif. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. d l.*

§. 5. Cœterum, an hæc oppignoratio fieri debeat cum conſenſu judicis ordinarii, an vero ſufficiat intervenire conſenſum Domini immediati, à quo recognoſcitur prædium, dubitationis eſt? Non diſtinguimus ita, aut Dominus Cenſus, à quo bona cenſitica recognoſcuntur, Jurisdictionem habet, aut non: Priori caſu nullum eſt dubium, illius conſenſum requiri; Poſteriori caſu, quando ſc. alius Jurisdictionem habet in illo loco, ubi bona ſita ſunt, de Jure Civili non aliter, quàm cum conſenſu Domini Cenſus oppignorari poſſunt. *arg. l. f. ibiq; Dd. C. de jur. emphyt.* Coler. *Proc. Ex. d. l. n. 171.* De Jure Saxonico communi ſufficit, ſi conſenſus Domini Jurisdictionis fuerit adhibitus. Vid. Conſt. El. 23. *p. 2. verſ.* Wann auch bona emphyteutica oder cenſitica, Erblehn oder Erbzinß Güter *&c.* Hodiernis moribus utriusq; tàm illius, cui cenſus ſolvitur, quàm Judicis ordinarii conſenſus conjunctim ad oppignorationem requiritur. Conf. Ordin. Jud. El. *tit. 46.* §. würde ſichs zutragen *&c.* Dn. Carpz. *d. l.*

§. 6. (3) Dominium in hoc jure conſiſtit, quod Dominus

cen-

cenſùs Jus protimiſeos in bonis cenſualibus, ſecus quam in emphyteuticariis, exercere non poſſit, cum dominium nempe directum in perſona domini cenſus non ſit, quod tamen cauſa & fundamentum hujus juris retractus eſt, ut probat Dn. Carpz. *p.2. conſt. 31. def. 6.* Neque quicquam in contrarium movet *l. ult. C. de Jur. Emph.* quia quod de bonis emphyt. diſpoſitum eſt, ad bona cenſualia, propter horum ab illis diverſam naturam, extendendum minimè eſt. Rauchb. *p.1. quaeſt.43. n.22.* Interdum tamen Jus retractus etiam habet locum in bonis noſtris, ut ſi ejusmodi perſonæ vendantur, quam Dominus juſta ex cauſa, puta propter difficiliorem cenſus & laudemiorum exactionem, in numerum ſubditorum recipere recuſat, tunc Dominus audiendus erit, ſi ipſemet emere velit. Dn. Carpz. *d. l. def. 7. n.6.*

§. 7. Onera, quæ Cenſitus Domino præſtare debet, ſunt (1) quod ſolvere teneatur pro inveſtitura ipſiusque recognitione laudemium. De quo ſupra actum à nobis eſt. (2) quod in memoriam dominii annuum cenſum pendere debeat, de quo etiam ſupra. (3) publicas functiones præſtare cogitur. Sunt autem publicæ functiones, quæ fiſco aut Reip. in recognitionem univerſalis dominii & in auxilium ac defenſionem, quæ Superioribus incumbit, quotannis præſtantur, ut ſunt tributa, vectigalia, operæ. Hæc onera ab ipſis prædiis adeoque ab illorum poſſeſſoribus, *per l.7. ff. de publ. & vectig.* qualis eſt cenſuarius, *arg. l.15. §.1. ff qui ſatisd. cog.* debentur. (4) quod cenſitus omne periculum & damnum ſuſtinere debeat, neque propterea cenſus remittatur. Ut probavimus ſupra, niſi Dominus miſericordia ductus cenſum remiſerit, quo caſu notandum, ſi Dominus ob ſterilitatem cenſum remiſerit, & ſequentibus annis contigerit ubertas, Dominio non obeſſe remiſſionem, ſed integram cenſum ejus anni, quo remiſit, ſolvendum eſſe. *arg. l.15. §. 4. ff. Locat.* Conf. B. Dn. Carpz. *p.2. Conſt. 37. def.12.*

CAP. V.

De Diſſolutione Cenſiticorum Bonorum.

§. 1.

HActenus de Cenſiticorum Bonorum conſtitutione, forma, & effectibus dictum fuit. Nunc eorum diſſolutio ſequitur; Quicquid enim certo modo conſtituitur, certo modo etiam diſſolvitur, per *l. 35. l. 100. l. 153. ff. de R. I.*

§. 2. Diſſolvuntur autem (1) *morte*, ſi Cenſuarius mortuus fuerit & nullos heredes reliquerit, *vel naturali, vel civili.* (2) *interitu rei*, puta ſi prædium cenſuale funditus interierit, quia cenſus eſt Jus in corpore, quo ſublato & ipſum jus tolli neceſſe eſt, *arg. §. 3. Inſt. de uſufruct.* (3) Præſcriptione vel ex perſona domini vel ex perſona cenſiti. Ex perſona illius amittitur cenſus, ut puta, ſi cenſitus cauſam Domino poſſeſſionis mutaverit, ſeque cenſum debere infitiatus fuerit, atque per 30. annos (in foro Sax. his 30. annis additur unus annus & dies Dn. Carpz. *p. 2. conſt. 38. def. 15.*) pro libero poſſederit. An autem cenſitus ipſam cenſus ſolutionem longiſſimo tempore præſcribere poſſit, rectè h. l. quæritur? Dicunt Dd præſcriptionem procedere de cenſu præterito, cum Dominus taciturnitate ſua videatur juri ſuo renunciaſſe, & cenſum cenſito donaſſe, non autem de cenſu in futurum ſolvendo; Atque hanc ſententiam cum Martino Gloſſat. plures apud Moller. *ad Conſt. Elect. 2. p. 2. n. 1. allegati* Interpretes probant. Contrarium tamen decidit Elector. Saxon. *in d. Conſt. 2. p. 2. in verb.* Daß die Jährliche Zinſen: Add. Moll. *cit. loc.* B. Dn. Carpz. *ad d. Conſt. def. 1.*

§. 3. Quæritur, an culpa quoque bona cenſualia amittantur, vel an cenſitus, ſi renovationem inveſtituræ non petierit, Jure ſuo cadat & poſſeſſione bonorum privari queat? N. Propterea tamen arbitrarie puniri poteſt. Conf. Dn. Carpz. *p. 2. conſt. 39. def. 5.*

§. 4. Cenſum eſſe ſolvendum de his bonis, ſupra diximus. Sin verò cenſitus juſto tempore cenſum non ſolverit (vel etiam prædium non requiſito Domino diſtraxerit) propterea in commiſſum non cadit, etiamſi cenſus per mille annos non ſolutus fuerit. Vid. *d. Conſt. 39. verſ.* daß von wegen ſchlechter Zinß. Dn. Richt *p. 2. deciſ. 84 n. 1* Dn. Carpz. *ad dict. Conſt. def. 1. n. 2.* Et in *Scab. Lipſ. M. Julii 1628. reſp.* Hat Lorentz Röbel/eurer Unter-

thaner

thaner/ eine Hueffe Landes in Beſitz/ ſo von euch zu Lehn rühret/ davon er in die 12. Jahr weder den gewöhnlichen Zinß/ noch die LandSteuer entrichtet ꝛc. ſo hat ſich zwar bemeldter Zinßman dadurch das ZinßGuth nicht verluſtig gemacht ꝛc. Nec quoq; his privari poteſt, ſi in contemtum Domini colonus ſolvere cenſum detrectarit, cum Domino cenſus, dem ZinßHerrn/ actio ex contractu vel ex delicto perſonalis competat, quâ cenſum vel pœnam ob contumaciam exigere poſſit. Conf. *dict. Conſt. 39. verſ.* daß der Beſitzer ob non ſolutum cenſum derſelben nicht zu priviren/ ſondern ꝛc. Dn. Richt *dict. deciſ n. 2. & 3.* it. *Vol. 1. Conſil. p. 6. Conſil. 7. n. 1.* Dn. Bechman. *ad ff. Vol. 1 p. 2. Ex. 6. n. 31.*

§. 5. Olim pœnæ loco ſingulis diebus, quibus ceſſabat quis ſolvere, à tempore moræ, progreſſione geometrica cenſus duplicabantur. Landr. *lib 1. art. 54.* ibi: Wer aber ſeine Zinß zur rechter Zeit. Unde ſunt dicti Rütſcher Zinße/ ideo, weil ſie fort rütſchen / und je länger ſie ſtehen / je mehr und gröſſer ſie werden. Dn. Frantzk. *d. l. n. 59.* Dn. Struv. *d. l.* Et hæ penſiones promobiles adhuc hodiè in quibusdam locis frequentantur, ut teſtatur Dn. Bechm. *in Com. ad π. Vol. 1. p. 1. Ex. 13. n. 33.* & Dn. Carpz. *p. 2. conſt. 38. def. 25.*

§. 6. Tandem quæſtionem illam annectere lubet, Num in dubio, ſi ſc. de mente contrahentium ne quidem ex literis inveſtituræ conſtare queat, bona emphyteutica an cenſitica præſumenda ſint? Quidam ſimpliciter emphyteutica præſumunt, ut Jul. Clarus *lib. 4. ſent. §. Emphyteuſis. quæſt. 1. n. 3.* Everhard. *in top. loc. ab emph. ad cenſ. n. 5.* Joh. Faber. *ad l. 1. C. de jur. Emph. n. 7.* partim quod in emphyteuſi minus ſit, dum per illam non univerſum jus, h. e. dominium directum & utile à ſe abdicat concedens, in cenſu verò majus, dum per hunc univerſum jus concedentis in recipientem tranſit, quod ita facile præſumendum non eſt. *arg. l. 25. ff. de probat.* partim quia id potius præſumendum, quod regulare, quàm quod irregulare eſt; A Domino autem rei aliquid annuatim ſolvi irregulare eſt, ſed in Emphyteuſi regulare Vid. Bach. *ad Tr. vol. 1 Diſp. 29 th. 9. lit. F.* Verum hiſce non obſtantibus contraria ſententia de Jure verior eſt, quam etiam magis receptam vocat Menoch. *d. l 3. præſumpt. cap. 166. n. 3.*

ubi per ampl. & limit. hanc quaſt. tractat, eamque approbat Elector Saxon. *ſæpius all. Conſt. 39. verſ.* daß in dubio die Güter cenſitica bona zu halten/ Conſ. Moller. *ad dict. Conſt.* Berlich. *p. 2. concl. 47. n. 19.* Magn. Dn. Richter/ *cit. Vol. 1. p. 6. Conſil. 68. n. 6. Et Conſil. 6. n. 3. ibique alleg.* Didac. Covarruv. *3. Var. Reſol. c. 7.* & Maſcard. *1. de Probat. 281. & alii.* Neque pro hac opinione rationes deſunt. In dubio enim, quod minimum eſt, ſequi oportet. *l. 14. & l. 39. §. 6. de leg. 1. l. 9. de R. I. in 6.* minus autem eſt obligatum eſſe ad cenſum, quàm ad canonem, dum ob ceſſationem cenſus non ita cenſuarius, ut ob canonem non ſolutum intra ſtatutum tempus, emphyteuta jure ſuo privari poteſt, quæ ratio vera eſt, licet emphyteutica in provincia magis quam cenſualia frequententur, *arg. cap. odia. de R. I. in 6.* & contractus ita interpretandi ſunt, ut res facilius ad ſuam naturam redeat, nim. conſolidationem dominii utilis cum directo, quod in cenſuali contractu accidit, quæ ratio contrarias præſumtiones facile tollit & vincit. Exinde ſequitur, quod, cum pro poſſeſſore præſumtio juris militet, bona nempe cenſitica eſſe, Domino emphyteutica eſſe affirmanti probatio incumbat, neque poſſeſſor titulum poſſeſſionis ſuæ edere cogi poſſit, quemadmodum & aliàs ad id nemo cogi poteſt, per *l. 11. C. de hered. petit.* Conſ. Moll. *dict. conſt. 39. n. 7.* Dn. Carpz. *ibid. def. 3. ubi etiam def. 6. 7. & 8. quædam limit. habet.*

Et hæc pro ratione temporis & inſtituti de hac materia intricata delibaſſe ſufficiant. Si qua igitur Tibi, B. L. minus omnia ex tripode Apollinis dicta videntur, obnixe rogito, velis partim ætati judicio ve adhuc imbecilliori, partim inopinatæ temporis, quo in elaborando ſpecimine hoc excluſus ſum, penuria, benevole condonare, recordatus illud: Homines nos eſſe & poſſe errare, & nihil jam eſſe dictum, quod non dictum ſit prius. Interim

D. T. O. M.

LAUS HONOR ET GLORIA,

CO-

COROLLARIA.

1. *Legatarii omninò teſtes eſſe poſſunt in teſtamento ſcripto, non autem nuncupativo.*

2. *Num teſtamento ob præteritionem annullato, legata cæteraque relicta valeant?* A.

3. *Filius ob æque graves vel graviores cauſas præter illas, quæ in Nov. 115. c. 3. expreſſa ſunt, exheredari nequit.*

4. *Pater Auguſtanæ religioni addictus filium propterea, quod Pontificiam religionem amplexus fuerit, exheredare minimè poteſt.*

5. *Legatum ſub hac conditione, ut aliquis religionem Pontificiam aſſumat, relictum valet, licet illa conditio adimpleta non fuerit.*

6. *Legata pecunia parata,* BaarGeld oder Baarſchafft/ *non cenſentur legata nomina debitorum,* auſſenſtehende Schulden.

7. *Ruſtici in rebus venditis pro reſiduo pretio tacitam hypothecam retinent, etiamſi de ea ſibi nominatim non proſpexerint.*

8. *Dominium rei immobilis transfertur, licet judicialis abdicatio & reſignatio,* die gerichtliche Ubergab und Aufflaſſung *facta non fuerit.*

9. *Utrum Nobiles aliique Domini caſtrorum in bonis ſubditorum vel ruſticorum edibilibus & cibariis jus* προτιμήσεως *exercere poſſint, ut priusquam ad forum iſta merces deferantur, primum iis deferre cogantur,* Daß ſie ſollen alle ihre eſſende Wahren ihren Junckern zu Kauffe anbieten? *N.*

10. *Conceſſio Expectativa,* Expectantz oder Anwartſchafft auff ein Lehen/ *minimè bonis moribus repugnat.*

11. *Conſuetudo Iuris Retractus propter vicinitatem,* der vor-oder näher Kauff/ *ad res feudales rectè quoq; extenditur.*

12. *L. 2. C. de Reſc. Vend. etiam in transactionibus locum habet.*

13. *Injuriatus ad palinodiam & æſtimationem injuriarum ſimul agere poteſt.*

14. *Juriſdictione ſimpliciter conceſſa, ut ſi dixerit Princeps in literis inveſtituræ:* Wier belehnen dich mit den Gerichten des Fleckens/ *non ſuperior,* Ober- und HalßGerichte/ *conceſſa videtur.*

15.

15. *Merum imperium nec Jure ſſorum, nec Codicis, nec Canonico, nec moribus hodiernis, niſi in caſu abſentiæ. l.1. pr. ff. ... cui mand. Jure noviſſimo etiam in caſu infirmitatis aut morbi.* P.H.O. *art.2. ibi.* und daſſelbe aus Schwachheit oder Gebrechlichkeit des Leibes ꝛc. *mandari poteſt.*

16. *Principes hodie, Liberæ Civitates Imperiales,* die freyen Keyſerlichen Reichs-Städte/ *ut & Nobiles Imperii Immediati* die ohngemittelte/ gefreyte Reichs Ritterſchafft/ *Jure αὐτοκρατορίας vel ſuperioritatis territorialis,* Krafft/ Landes-hoher Obrigkeit/ *Jurisdictionem habent.*

DIves erit cenſu, bona quem virtutis & artis
Ingeniique potens ducit ad aſtra decus.
Te, MEILANDE, bonis cenſeri talibus, opto,
Ne capite, at veris vir reputêre bonis.
Civis eris primas, cui Præſes Apollo benigno
Lumine & eximio ditet honore caput.
Tu cenſum capite & caſsâ indignum nuce vulgus
Sperne, ſagaxque bonis augmina quære tuis.

propemb.
LMq;
Philippus Müllerus, P.P.
Academiæ Rector.

CEnſum Cenſitus ſolvit, labor improbus urget,
ut LAUDIS CENSUM ſolvat Apollo Tibi.

Hiſce, Politiſſime Dn. Meiland/ *Jur. Utr. Cult. indefeſſe, Fautor atq; Amice Candide! egregios tuos in Jure profectus excipere, Tibiq; de ſolidâ præſentis Diſputationis elaboratione, cum voto omnigenæ felicitatis, gratulari volui*

Heinricus Linck/ U. J. D.
Præſes.

FINIS.

1A1 152330 1